

Exercitationem medicam ad text. xxii Sect. ii Lib. ii. Epid. Hippocr. de fluore muliebri in ... quae Basileae Raurac. est Academia ... autoritate et consensu ... medicorum collegii pro impetrandis summis in arte honoribus ... publico eruditorum examini / sistit ... Christophorus Helvigius ... anno salutis M DC LXVI. mensis April die [].

Contributors

Helwig, Christoph, 1642-1690.
Universität Basel.

Publication/Creation

Basil : Typis Joh. Jacobi Deckeri ..., [1666]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pm6ab593>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIONEM MEDICAM
AD TEXT. XXII. SECT. II. LIB. II.
EPID. HIPPOCR.
DE

FLUORE
MULIEBRI

IN ILLUSTR
QUÆ BASILÆ RAVRAC. EST
ACADEMIA
COELESTI Hominum ARCHIATRO PRÆSIDENTE
AVTHORITATE ET CONSENSU
SAPIENTISSIMORUM PATR. R.
AMPLISS. MEDICORUM COLLEGII
PRO IMPETRANDIS SUMMIS
IN ARTE
HONORIBUS ATQVE PRIVILEGIIS
PUBLICO
ERUDITORUM EXAMINI
SISTIT
H. L. Q. S.
CHRISTOPHORUS HELVIGIUS
ANCLAMENSIS POMERANUS
ANNO SALUTIS MDC LXVI.
MENSIS APRILIS DIE IX.

BASIL. TYPIS JOH. JACOBI DECKERI
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

AD HOC
FACIENDUM
FACIENDUM

FACIENDUM
FACIENDUM
FACIENDUM

FACIENDUM
FACIENDUM
FACIENDUM

FACIENDUM
FACIENDUM
FACIENDUM

FACIENDUM
FACIENDUM
FACIENDUM

FACIENDUM
FACIENDUM
FACIENDUM

FACIENDUM
FACIENDUM
FACIENDUM

FACIENDUM
FACIENDUM
FACIENDUM

FACIENDUM
FACIENDUM
FACIENDUM



I. N. D. N. J. C. A.

Hippocr. II. Epidem. Sect. 2. c. 45. 46. 47. 48.
edit. Lind.

Θυγατέρες τεκίσσης δι-
δύμης & δυσοκησά-
σης & ἐπ' αὖν καθαρθεί-
σης ἐξώδησεν ὅλη. ἔπει-
τα ἡ γαστήρ μεγάλη ἐγέ-
νετο. τὰ δ' ἄλλα ἐταπει-
νώθη. καὶ ἐρυθρὰ εἴη με-
χρι ἑξήκω μηνός. ἔπειτα
λευκὰ κάρλα πάντα ἦδη
τὸν χρόνον. πρὸς δ' τ' ἀ-
φροδίσια οἱ ῥόοι ἐβλα-
πτον καὶ οἱ ἀκρήλα ἐρυθρὰ
ἰκινούμενα ἴθι.

Filias parientis gemellas
& difficulter parientis
& non admodum purga-
tæ intumuerunt tota. Po-
stea Venter magnus fa-
ctus, cætera autem im-
minuta. Et rubra erant
ad sextum usque men-
sem. Postea alba admo-
dum omni reliquo tem-
pore. Veneris in usu no-
cuerunt ei fluores, & im-
permixta ei rubra sta-
to tempore pro-
dierunt.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

§. I.

PRÆSENS HIPPOCRATIS Locus è Libro va-
riè mutilato quàm variè ab Antiquis etiam ex-
plicatus sit, prolixè recensere nolo; Curiosus
enim facilè discet è proœmio, quod Comm. in VI. Epid.
præfixit GALENUS: Meam saltem mentem bre-
viter, luculenter tamen exponere & HIPPOCRA-
TIS genuinam eruere conabor.

§. 2. Describit hic Mulierem Fluore laborantem, quia ἐρυθρὰ ἔλκεα καὶ ῥα, ista μεχρὶ τ' ἐκτὸς μὲνός, hæc πάντα τ' χρόνον prodierunt. Quoties enim tale quid contingit, dicitur Morbus Antiquorum, aliis ῥῆς γυναικείας, *fluor muliebris*, HIPPOCRATI autem sæpius simpliciter ῥόας, *fluor*, aut cum additione, λευκός, ἐρυθρός, πυρρός, *albus, ruber, fulvus*, pro diversit. materiæ fluentis.

§. 3. Τεκύσσης, inquit, & hâc voce Sexum & Vitæ genus ostendit. Mulier itaque & puerpera fuit, adeoq; è numero Corporum Non-sanorum Medicis dictorū. Quamvis enim sana videantur & dicantur, quæ ὀρθοσάδια, propriè tamen non sunt, quia nemo tam felicem degit vitâ, quin aliquid patiatur, vel ad facilè patiendū disponatur. *Euripid. Iphigen. in Aulide. Θνητῶν δ' ὅλβιος εἰς τέλος, ὃς δ' εἰς ὃς δ' ὀδύσσειαι, ὅσπ' ὅσ' ἐφύλλος ἄλυστος.* QUINTUS CALABER Paralip. Hom. VII. v. 83.

— — Μερόπων τ' πανόλβιος ἔστις ἐτύχθη
Εἰς τέλος, ἐξ ὀδύσσειας δ' ἐτέρω ἔπερ' αὐλίσσεται.

Puerpera autem, cum adeò jam affecta & passa sit, ut lecto affigatur ἀκλινήρης, ægra, & ἀεργος fiat, si non inter propriè ægrotantes, neque enim partus præter naturam dispositio est, saltem inter Non-sanos, hoc est, Morbis vitâ obnoxios rectè collocatur.

§. 4. Utî autem omnem partum insignis Virium prostratio sequitur ob exhaustos Dolorum vehementiâ spiritus, ita dubio procul, propter majorem in partu difficili & Dolorem & Spirituum dissipationem, sequetur major ad varia morborum genera proclivitas. Difficulter autem NOSTRAM peperisse ait Hipp. voce δυστοκίας.

§. 5. Nec frustra quoque θυγατέρας peperisse διδύμους dixit, qui non nisi oracula scripsit, sed his ipsis δυστοκίας causam involvit. ARISTOTEL. VII. Hist. Anim. 4.

ὥς ἵπτι τὸ πολὺ ῥᾶον ἀπαλλάττεισιν αἱ πᾶ ἄρρενα κύεσαι, ἔ μᾶλ-
λον μετ' ἀχρεΐας διὰ τελευτῶσιν. ἵπτι ἣ τ' ἡλειῶν τελευτῶσιν. ἀχρεΐ-
σται γὰρ ὥς ἵπτι τὸ πολὺ ἔ βαρύτερον διέρχεται. Et paulò post
ait: τὰ ἄρρενα τί κλεῖται τῶ πον, τὰ ἣ ἡλεα βαρύτερον. καὶ τ' πόνον
ἵπτι μὲν τοῖς ἡλεσι συνεχῇ ἐνωθρότερον. ἵπτι ἣ τοῖς ἄρρεσιν ὅζον
μὲν, πολλῶ ἣ χαλεπώτερον εἶναι.

§. 6. E' quibus, licet videatur colligi difficiliorem
marium partum esse, nihilominus aliter, benè rem
consideranti, patebit. Quamvis enim acutior à maribus
& molestior dolor fiat, non tamen propterea partus
difficilior, imò potius facilior erit. Robusti quippe fœ-
tus & ad partum impetu quasi pungente ruentis testi-
monium est. At verò quævis novit Muliercula, dolore
maximè sæviente maximè nitendum esse, ut ita suo
nixu fœtûs; ipsius impetu facilior edatur partus. Imò
nōrunt difficilimos esse non tam qui multo dolore,
quàm multo exeunt tempore, quibus cessante ὁδύνη in
angusto spes esse solet. Difficilior igitur feminæ par-
tus est, si dolorem continuum & obscuriorem facit, si-
gno imbecillitatis, ob quam impetu agere nequit, sed
longiori temporis spiramento molestat.

§. 7. Difficilis autem feminæ partus fit ob dupli-
cem imbecillitatem, Fœtûs & Matris ipsius. Fœtûs;
quia feminæ maribus imbecilliores. Nec quidquam
robustiores nonnullæ obstant. Fieri comparatio de-
bet non maris imbecillis cum femina robusta, sed ro-
busti cum robusta, & sic marem feminâ semper inve-
nies robustiorem; propterea addit ARIST. I. Pol. 8.
εἰ μή πρ' συνεσηκεν τῷ φῦσιν. Omnium enim consensu
calidior est mas, & ut est VII. Hist. anim. 4. κίνησιν παρέ-
χεται τῷ σώματι μᾶλλον ἢ ἡλε. Argumento ipsa est for-
matio; Puellus enim diebus triginta, puella quadra-
ginta duobus absolvi creditur. Si magis movetur puel-

lus, magis quoque partum accelerat, femina verò minùs nixui auxiliatur, ideoque partum producit & reddit difficiliorem.

§. 8. Matris imbecillitas accedit; quia puellam gestantes sunt ἀχρεῖστοι, ob spirituum in sanguine inopiam, quam digito quasi monstrat corporis illa βαρυτης, & multum promovet vitiosorum succorū copia. Mares enim calore & majore & vegetiore rectius & operantur & alimentum digerunt femellis, quas plura relinquere excrementa, selecto ob calidi imbecillitatem purissimo sanguine, sana ratio dicat.

§. 9. Quoniam igitur femella cum difficultate prodit in lucē, & rectè ἀχυμὴν καὶ μοχλόν & dicitur Nonno Dionys. L. XLI. p. 1076. intendi eam à Gemellis negare nemo potest. Ut enim mulier, nostris saltem locis, ab omni partu simpliciter, & à femina magis, ita à gemellis maximè, ob repetitos labores debilitatur.

§. 10. Expositis jam προφάσει seu agrotandi dispositionibus accessit in NOSTRA, quòd non admodum fuit purgata, & πάνυ καθαρθῆσαι. GALENUS ad aph 72. V. explicans τὸ & πάνυ; Διὰ τὸ ἔν, inquit, περιετῆκε τῷ λόγῳ τὸ & πάνυ, τὸ μὲν διηνεκὲς τὸ δὲ προφάσεως κωλύων, εἰδὲν κινύμεν & ὥς τὸ πολὺ γίνεσθαι τὸ περιετῆμενον. Quamvis igitur hoc loco eadem voce usus sit HIPPOCRATES, ut sensus esset, rarò purgatam esse, puto tamen post excretas secundinas non omninò purgatam, sed lochiorum retentione afflictam fuisse, ita ut initiò benè, non tamen omninò, perfectè & ad modum usque, sicut debebat, fuerit purgata.

§. 11. Facta igitur est λοχιοκρυφία, quæ fundamentum habebat in materia p. n. nempe sanguine lochiorum, qui post foetus exclusionem inutilis & p. n. fit, quia adesse non debet. Ἀμελείαν verò ac vitium in retentione.

tionem. Ergo non nisi materiae & quidem alienae morbis recte accenseri potest. Pars affecta Uterus est & Vasa vicina; quia hic retinentur & stagnant. In utero: quia in eo coacervata sunt, ob usus quos foetui praestiterunt. In vasis: quia repleto utero, ea quoque turgere & impleri ratio dicitur. Retinentur autem; quia sanguis non debito modo ebullit & effervesceat, cuius tamen ζέσιν in purgatione lochiorum esse necessariam constat. Non effervesceat: tum quia nimia spiritus imbecillitas est difficili praegresso partu, & a spiritu sanguinis fervor est; tum quoque quia materiam frigidam, crudam & motui ineptam fuisse, ex eventu apparet.

§. 12. Impedita igitur Purificatione, non tantum non expurgatae sunt collectae gestationis tempore est victu indulgentiore cruditates, sed & ipsis illis quae in utero stagnabant, multum fuerunt adauctae, adeoque totum corpus humoribus crudis & serosis ita fuit repletum, ut mirum merito non sit, quod membra ipsi ἐξώδησεν ὅλη, & factum illud Alienitatis νέσημα, quod λευκὸν φλέγμα solet vocare HIPPOCRAT. aph. 76. VII. 29. VII. &c.

§. 13. Quamvis autem λευκὸν φλέγμα saepe ab AUTHOR. cum αἰνὰ τὴν σάρκα inter cutem hydrope confundatur, differunt tamen apud HIPPOCR. & conveniunt. Conveniunt subiecto sive parte affecta, uterque enim morbus subcutaneus, αἰνὰ τὰς σάρκας est. l. de aff. XX. 7. Differunt autem materiae ejusque vitio. ὑποσπικίδη ὕδρωψ habet pro fundamento materiam non pituitosam, uti Leucon phlegma, sed Ichorosam, plus enim semper in Hydrope, quam in Leucophlegmate est, fitque Ichor aequè est pituita miti vel salia, ac ex aliis humoribus, & propterea Leucon phlegma desinere in Hydropem recte dixit HIPPOCR. l. de Affect. XX. 13. Praeterea

terea in Leucophlegmate nitor habitus ac præsertim faciei perit, & quasi cadaverosus color fit; in Anasarca nitor ac splendor plus justo intenditur, ita ut ibi defectu, hic peccet excessu. Denique ibi vestigia impressi digiti diù hærent, hic faciliè breviq̃ue temporis spatio pereunt, solâ peccantis materiæ diversitate.

§. 14. Laboravit autem NOSTRA alba Pituita. Quo quidem nomine utitur HIPPOC. non tam, quòd frequens ei sit usurpatio causarum morbificarum pro morbis, quàm quòd reale morbi, cum quo Medico res est, pituita sit, quæ causa, factò jam morbo, Medicis dici, quia materia & morbi pars est essentialis, nequaquã potest. Causa enim ab illis nulla præter efficientem debet agnosci, pituita autem, quæ in parte affecta est, non efficit morbum hunc, sed constituit, hoc est, non extra se, sed ex se producit, aut super se induci sinit. Quæ mihi *ἡ ὀφθαλμική* vel ideò fuit præmittenda, ne scrupum cuidam objiciant illa HIPPOC. è libro de Affect. XX 6. 11. *ἡ γὰρ νύξ αὐτὴ γίνεται διὰ τὸ φλέγμα καλεῖται φλέγμα λευκόν.* Pituita enim, ab illa tamen, quæ in parte morbum sustinet, non essentiâ, sed loco diversa, continens est morbi hujus causa, quia eâ præsentē fit, augeſcente augetur, ablatâ tollitur, non quidem simul, sed consequenter. Pituita igitur cùm morbus fit, causa, cùm factus est, pars ejus essentialis est, quia causa omnis proxima transit in partē rei factæ. Dicitur alba, non quòd aliâ pituitâ sit albidior, sed quia cutis color apparet albidior. Cùm enim talis in cute color sit, qualis in spatiis & oculis cutaneis humor est, quid mirum est, si saburrâ excrementorum in habitum delatâ, periit vivus corporis color, & factus est justo λευκότερον.

§. 15. Saburram hanc præbuit aquosior è Lochio-cryphia sanguis. HIPPOCRATES disertè l. de Affect.

fect. XX. 10. τὸ αἷμα ὑπὸ πλήθους ἔφλεγματος ὑδαρέσει-
 ρον γίνεται, & propterea ἔκ' ἐστὶν ὁμοίως ἐν αὐτῷ τὸ ἄλ' ἔχειν. Ἐ-
 διὰ τὸ τοιοῦτον λευκότεροι γὰρ φαίνονται. Abiit autem in spatia cu-
 tanea aquosior sanguis, propter imbecillitatem vi-
 rium, ut vulgus vocat. Cū enim non posset excer-
 ni per uterum, remansit in venis κακοχυμία illa pituito-
 sa, & lege circuitūs, in arterias carnibus cutique im-
 mersas, nutritionis causa fuit depulsa. Cū autem nu-
 tritio sit assimilatio, quæ nequit è pituita fieri, depra-
 vatam eam esse & hanc destitutam motu constitisse
 clarum evadit.

§. 16. Destituta est motu triplici de causa. Prima est
 loci à foco caloris distantia. Quò enim longiùs in sanis
 etiam sanguis à corde abest, eò minùs habet ignis, què
 animale vocat PLATO in Timæo, eoq; minùs mo-
 vetur, eoq; citiùs sistitur & concrescit. Rectissimè enim
 HIPPOCR. I. de Diæt. IV. 17. 18. τὸ ὕδωρ ἐπεξίον Ἰππὶ τὸ
 ἔλαττον ἔ' πυρὸς, Ἰππὶ λείπ' ἡ κίνησις. ἴσεται δ' ἐν ἐν τέρτῳ In habi-
 tu autem corporis, venisq; cutaneis, longissimè san-
 guis à corde abest, eaq; propter pedes in Leucophl.
 præ reliquis partibus intumescunt, quia longissimè à
 corde absunt, & pituita suo pondere deorsum tendit.
 Altera causa est ipsa Pituita motui inepta: quò enim
 crassior ac tenacior est, eò citiùs angustias venarum
 occupat, eoq; firmiùs hæret cutaneis. Ultima & po-
 tissima est ipsius ignis debilitas, qui solus per se mobi-
 lis & à quo omnis in corpore motus; hic enim non
 tantùm difficili partu imminutus, sed & à segnitie ma-
 teriæ sufflaminatus est, sive impeditus agere & quæ ac-
 quæ oportebat ducere. Segnis autem est pituita, quia
 frigida & parùm aut nihil in se habet ignis naturalis.

§. 17. Postquam igitur ita constitit cacochymia pi-
 tuitosa, facta est primo Cachexia, sive foedus habitus

color absq; tumore, qui tandem sensim affluente novâ materiâ successit, & λεκὸν φλέγμα sive οἶδημα σαρκῶν constituit. Expulso scilicet nec recepto spiritu, intervalla carnis, ut HIPPOCRATES in de arte XVII. 8. vocat, ἀσύμφута, *minimè coibilia* (rectiùs connata aut concreta) glutinoso pituitæ mucore inter se coiërent, confusaq; reddiderunt totam cutem tumidam ac turgidam.

§. 18. Ἐπειτα ὅ ἡ γαστήρ μεγάλη ἐγένετο, quia τὰλλα ἐπαπεινώθη. Resumptâ scilicet in Venas materiâ & per Arterias in ventrem depositâ. Quamvis enim credi facile possit, per ipsos cutis poros non parùm exhalâsse, maximam tamen partem in ventris utrem fuit collecta. Resumptâ quidem est in Venas : quia attenuata, attenuata est, quia languidi antea spiritus quiete ac morâ vires suas reciperârunt, & impetu fortiori nondum nimis hærentem attriverunt. Resoluta autem sanguiniq; permixta, in uterum hiantibus arteriarum osculis fuit delata, quia natura in feminis adeò consueta est per uterũ purgare, ut ipsa muliebritas in menstruis videatur poni ab HIPPOCRATE VI. Ep. VIII. 98. 105. Phaëthusâ quippe Phytee uxorem in Abderis, & Namyfiam Gorippi in Thaso barbata mulieres non potuisse γυναικωθῆναι dixit, menstruorum, quæ γυναικεῖα vocat, indicaturus defectum.

§. 19. Quia verò obruebatur uterus à materiæ pro tenaciori suâ crassitie vix satis dilutæ copiâ, fieri non potuit, quin in ipso angustisq; vasorum hærens coacervaretur, & , crescente subinde mole, aut uteri aut abdominis quendam mentiretur hydropẽ, quem ciente naturâ solitas sanguinis superflui purgationes crevisse initiò, postea verò exactiùs permixtâ materiâ solutum esse, Ratio persuadet & Textus ipse docet.

§. 20. Fluxêre enim ἐρυθρὰ μετὰ τὸ ἐκ τῆς μηνός. Ruffa, id est, colore, qualis ovi vitellus, exponente FOESIO.

Author

Author Defin. Medic. ἐρυθρὸν εἶναι ait, ὅπου ταν ῥ' ἀποκρυνό-
μενον (μένον in Cod. Ald. abundat) ποιῶτον, οἷον ὑπὸ νεοσφα-
γῆς ἱερὸς αἷμα. Sanguis autem victimæ recenter macta-
tæ, ut arteriosus dilutè rubet, & à lotura carnum solo
splendore differt. Breviter: fluxêre NOSTRÆ ἰχωροει-
δέα, ὑπερυθρα λεπία, οἰνώδεα ἢ ὅπως κρεῶν πλῦμα. (ex
ARETÆO p. 86.) cujus generis sunt Lochia apud HIP-
POCR. I. de morb. mul. ὑδρωποιδέα dicta, qualia esse
ait, si quis carnes cruentas abluat, ob quam loturæ ru-
bedinem hîc vocari ἐρυθρα, & sanguinolentam fuisse
aquam existimo, quia stagnantis in & circa uterum pi-
tuitæ copia sanguinem reddiderat aquosiores. Redi
ad §. XV. & XVIII.

§. 21. Duravit autem hæc uteri Hæmorrhagia satis
diù, in sextum usque mensem, non quia scatuit ulceri-
bus sanguinem fundentibus, ut placuit INTERPRR.
nonnullis, sed quòd sanguis justo aquosior contineri
in vasis nequit. Quamvis enim fundant sæpè sangui-
nem, aut sanguinolentum quid ulcera, fieri tamen sex
mensium spacio fistulosa debuissent, quod ipsa fluoris
in album degeneratio, præter gravissimorum sym-
ptomatum absentiam refellit. Sex autem mensibus,
qui integris quandoque annis visus est, vexâsse, mirum
esse non sinit sanguinis λεπτομερία, propter μετὰ πλωσιν
pituitæ in aquam. Αἰμορροῶσα interim illa XII. annis mi-
serè afflicta, à salutis nostræ AUTHOR E miraculosè
sanata, fidem faciat incredulo.

§. 22. Dictum hoc ἐξάμηνον sanguinis profluvium exce-
pit in NOSTRA λευκορροία. Ait enim Textus: ἔπειτα λευ-
κὰ κάρτα πάντα ἤδη τ' ἔχονον. Quæ quidē intensa Albedo à
pituita ejusque serositate fuit. Pituescebat quippe ac
διερρώσθ' quasi diffuebat sanguis, quia crudus nec ob fri-
giditatem, facultatis imbecillitatem, aut, ut apertiùs di-

cam, spirituum paucitatem fluore continuo contractā
sufficienter coctus. Postquam enim spiritus dissipatus
destituit crudum sanguinis, solutus est nexus ille, quo
reliquo jungebatur, eaq; κατὰ λύπην è communi vitā, δια-
κρίσις vel ἀποκρίσις HIPPOCR. II. Epid. I. 47. καὶ ἔκρυν appellata.
Quatenus itaq; pars mittens respicitur, fluor albus est
morbus sanguinis, quia à sanguine abscedit pituito-
sum; quatenus verò pars recipiens, morbus est uteri,
cui vulgò solet adscribi, qui tamē, quia nonnisi affecto
sanguine afficitur, quare huic potius tribuere non li-
ceat, equidem ego non intelligo.

§. 23. Sanè GALEN. ipse VI. de loc. aff. 5. disertè ait: ὁ
καλὸς μὲν ὁ ῥῆς γυναικῆς ὅτι ἐστὶν ὅτε συμβαίνει ταῖς γυναιξὶν χω-
ρεῖς ἔχειν περὶ τὴν μήτραν ὅλην τὴν σῶμα καὶ ἐκκαθαίρουσιν αὐτὴν
ἐκ κενουμένης δι' αὐτῆς. ὡς περὶ ἐνίοτε καὶ διὰ νεφρῶν ἐκκένονται. Καὶ
γίνεται τὸ τοιοῦτον ταῖς ἀπαλοσάρκεις τε καὶ φλεγματώδεσιν, αἷς
καὶ χωρεῖς ἔχειν αὐτῶν τὰς μήτρας ἰασημέθαι διὰ τὴν πᾶν τὸ σῶμα
καὶ βοηθημάτων. Quæ priora ejus verba totidem literis
ORIBAS. Syn. IX c. propr. in MS. Vaticano repet. PAU-
LUS AEGINETA III. 63. ῥῆς μαλίστος ἐστὶν ὑστερας ὁ γυναι-
κῆρος ῥῆς ὅλην τὴν σῶμα ἐκκαθαίρουσιν. Quinimò GALEN.
de Diff. sympt. III. 4. in nostras partes omninò abire vi-
detur. Vel enim fieri muliebrem fluxum ait, πρὸς αἱ-
μῆς ἐνεργείας ἀρρώσεως, vel τῆς ἀποκριτικῆς ἀμέτρως κινεμέ-
νης, vel ἀμφοτέρων ἅμα βεβλαμμένων, vel deniq; λεπτὴ καὶ
ὀρρώδης ἔχει πᾶν τὸ αἷμα καὶ ἀποτελεῖται. Et mox γένεσιν
ejus πολυειδῆ esse ait: ἢ τοι γὰρ ἐξ αἱματώσεως δύναμεως ἢ τὴν ἐκ-
κρίσεως τὸ σφάλμα. γένοιτο δ' αὖ ποτε, καὶ τῆς καθελικῆς ἀμέ-
τρως ἐνεργείας, ἐξ ἐξέρματος πυκνωθέντος, ἐκ τῶν νεφρῶν γε-
νωθέντων. Quibus in locis GALENUS non uteri, sed san-
guinis vitiis rectè accenset. Nempe fluor muliebris
non est affectus uteri, sed sanguinis, qui per uteri vias
fluit.

fluit. Sanguis enim primario, uterus verò secundario, propter materiæ ipsius præsentiam, afficitur; ita ut jam cessare possit ALTOMARI dubitatio, nullam hîc esse certam partem affectam.

§. 24. Leucorrhœa igitur profluentia pituitosa bonâ definitione dicitur. Neque partem, per quam fluit, nominari opus est, quia propter vim subjectæ vocis ac definitæ intelligi solus fluxus uterinus potest. Mortalium quippe nemo fluxum pituitæ per os, nares aut anum, Leucorrhœæ audivit nomine vocari. Partem verò unde profluit, genus ostendit. Profluentia enim est affectus sanguinis, quatenus ejus quædam pars peccat in motu; quod vitium ῥευματισμὸν in genere vocant Graeci, & cum fluit in partem, propriè Καθάρρον, Confluentiam latinè dicas. Cum extra corpus; generale nomen alii retinent, sed nihil obstat, quin profluentiam nos dicamus, Ἐκροήν enim vocat HIPPOCRATES.

§. 25. AUTHOR Defin. Medic. descriptiones nobis potius quàm veras reliquit definitiones. Quales cum PRACTICI nostri pleno semper ore ebuccinent, videamus quid in sinu gerant utilitatis. Γυναικεῖσι ῥῆς, inquit, ἐστὶ Φορὰ ὑγρῶν Διὰ μήτρας ὅτι πλείονα χρόνον ὑπὸ ἀποκρίσεως αὐτῇ γιγνόμεναι. ῥῆς λευκὸς ἐστὶν ὅταν λευκὰ ἢ τὰ ἀποκρινόμενα, ἐν τῷ προσώπῳ οἰδήματα ἐπὶ ὑποφθάλμια ἐποιδίσκεται, ἐνίαις δὲ ἡ γαστήρ ἐπὶ τὰ σκέλη. Quæ omnia, licet sint verissima, pro bonis tamen definitionibus vendi nequeunt. Cum enim ὁρισμὸς ARISTOTELI sit λόγος τῆς οὐσίας, ipsique Definit. AUTHORI λόγος ἐννοίας, aut τὸ εἶναι δηλῶν, essentia autem morbi non sit in symptomatum eam sequentium cohorte, ideò Symptomata à definitione bona exulare debere palàm est. Causâ quoque cum factus jam morbus ac permanens non egeat, neque efficiens de effecti aut de causati essen-

tiâ causa sit, producit enim extrâ suum esse aliud esse, locum in definitione habere nequit.

§. 26. Nostram verò definitionem, quia rei essentiam absque superfluis ostendit, perfectam esse censemus. Ostendit essentiam: quia Materiam & Formam docet. Materia est Pituita, in cujus substantia obtinet morbi forma fundamentum, quam vulgò causam continentem malè vocant. Forma autem, sive vitium ac ἀμείλεια est profluentia, quia hæc lædit tùm sanguinis, tùm uteri usum & officium. Sanguinis: quia p. n. eum disponit, quatenus non convenit naturâ, ut quidquam in & ab eo secedat, & quasi seditionem excitet. Uteri: quia per eum talis fluxus naturâ fieri non debet. Usus enim fœcunditatis, propter quem irrigatur, talem fluxum minimè gentium postulat. Nec quidquam valet, Excrementa naturaliter à sanguine abscedere, quia tùm & debitis locis & modo convenienti, nec alienata, sed è necessitate materiæ assumptæ quasi naturalia separantur. Hîc autem alienata, pituitosa nempe excernuntur, à quorum conditionibus, colore, consistentiâ, facultate, ut & à Profluentiæ modo infirmas ac específicas morbus accipit differentias, sapientissimo HIPPOCRATI II. de Morb. Mul. magnâ curâ explanatas.

§. 27. Primam color facit, qui prout magis minusvé albicat, aut ad flavedinem, pallorem vel virorem declinat, ita varios quoque corruptionis & mistionis in materia ostendit modos, Albedo tamen omnis, ut fluor dicatur albus, abesse nequit. Sic autore HIPPOCR. II. de morb. mul. modò λευκόν, IX. 2. XI. 2. modò ὑπόχλωρον, X. 2. XI 9. modò λευκόν ὑπόχλωρον, X. 2. χλωρόν ὑπόλευκον XII. 2. modò κάρτε λευκόν, (ut est in TEXTU) modò, ut loquitur AETIUS, οἷον πρισάνη fluere observatur.

§. 28. Se-

§. 28. Secunda consistentiæ debetur; Nam vel tenuia & liquida, vel glutinosa, crassa & grumosa, & vel ovi albumen, vel piscium Melanurorum mucosum gluten, vel pulmonis marini, aut urticæ marinæ substantiam referentia vacuantur. Sic apud HIPPOCR. l. d. modò ὡς ὄνυχρον, modò ὁχθιον περιβάτχρον, modò θιον ἐξ ὡχ ὡμιχ profluit. Ubi notari tanquam ἐν παρόδῳ debet, malè intellexisse MERCURIALEM verba σφχθθιοτάτχ γέρονι. HIPPOCR. quando eum urinam Leucorrhœicam a sininæ comparâsse ait, IV. de morb. mul. 6. quia non de urina, sed de fluore ipso, ejusque consistentiâ intelligi debet.

§. 29. Tertiam Δυνάμεις constituunt, prout enim materia acris vel iners, ita quoque vel cum dolore & partium erosionē, vel sine eis morbus est; prout putrida vel imputris, ita vel cum putore vel non: Deniq; prout tabi est miasmate infecta, ita quoque contagiosus evadit. Talis ut plurimum est lue venereâ laborantium, vulgò pro Gonorrhœa virulenta habitus.

§. 30. A Profluentia modo Quarta defumitur; ejusque respectu Morbus vel continuus vel interpolatus, magnus vel parvus dicitur; quæ tamen ipsa, si rem benè consideres, à materiæ quantitate aut facultate pendet. Cum enim præter materiam nihil reale morbus habeat, quid mirum est, si ab ea differentiæ potissimæ pendent?

§. 31. Ob materiam quoque modò hâc, modò aliâ parte stagnantem, fiunt Symptomata affectum hunc comitantia. Quantis per enim in sanguine si non κτ' σύμφυσιν, saltem κτ' σύγχυσιν hæret, cum eo ad varias partes delata, variis quoque molesta fit. Est inde non oculorum, ut malè vulgus putat, sed τ' ὑποφθαλμίων ἢ χειλῶν, II. M. M. IX. 3. XII. 4. de nat. mul. XV. 5. eorum quæ

quæ sub oculis cava sunt, tum integræ faciëi, tum
 ventris, tum pedum præcipuè οἰδημα digiti vestigium
 ὡπερ 5 αἰς. II. M. M. IX. 11. XIII. 11. XV. 8. nonnunquam
 fervans, si enim tangatur ἐμπλάσεται βοτρειδέα. II. de
 M. M. XI. 6. Est inde cum spirituum imbecillitate &
 sufflamine nata oculorum deformitas. ὕδρωποι-
 δέα γὰρ καὶ ἡ παῖν δειδέα τὰ τ' ὀφθαλμῶν. καὶ τὸ λαμπρὸν ἀπε-
 σι. καὶ γλαυροὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ἐάμβλυώσονται. καὶ τὸ χεῖμα ἀφύω-
 δες καὶ φλυκταινοειδές, II. de morb. mul. IX. 4. 5. 6. 7. ERO-
 TIANUS ἀφύωδες, λευκοπέλιον δὲ τ' ἀφύης ἔχθιδίς ὠνο-
 μασμένον exponit. IPSE de N. mul. XV. 7. II. M. M. XIV. 7.
 ἰκτερώδες καὶ λευκόν. Color itaque è fusco flavo albus &
 ut II. de morb. mul. XI. 9. ὑπόχλωρον est. Nascun-
 tur quoq; ex eodem fonte γυνάτων ἀκρασίη, II. M. M. IX.
 14. pigrities, αἰσμα ὅταν πορθέται, de N. M. XV. 8. &
 alibi. ἀνορεξία, καρδιωγμοὶ ὅκταν νήσιες ἔωσιν, ἢ καὶ ἐμεί-
 ὑδαί- οἷον ὅξ, II. M. M. IX. 13. pulsus denique ἀμυ-
 δρὸς ἐσκωληκίζων. de quo confer HIPPOCR. II. M. M. XIII. 8.

§. 32. Eadem materia appetitiones mulierum læ-
 dit, gestusq; & motus contractione spiritûs permutat.
 ἔχθ' γὰρ ὀλιγοψυχίη, quia odio materiæ conficitur spiritus
 mœrore, atque diuturnâ oppressione in corde velut
 carcere detentus, de liberatione desperat, quem mœ-
 rorem presso pede sequitur querimonia, vultûs deje-
 ctione, luctu, suspirio crebro, & familiari mulieribus
 lamento ostensa, quæ quidem omnia pudor atque ti-
 mor mirum quantum augere solent.

§. 33. Quando verò abscedens à sanguine ad ute-
 rum præcipitata est materia, sine dubio eum ὡς λό-
 γον II. de M. M. IX. 16. laxat, & tono naturali exuit, sic
 ut solutis ligamentis in αἰδοῖον sæpè decidat, doloreq;
 gravativo ὡπερ μολύβδ' 8, 17. l. c. in hypogastrio sese pro-
 dat. Pendet ab hâc ejus Atoniâ, subsequens infœcun-
 ditas

ditas vel denique sterilitas, ut de NOSTRA quoq; ait
 Textus: ὅτι πρὸς τ' ἀφροδίσιαι οἱ ῥόοι ἔβλαπτον. Quo loci ob-
 fervare oportet, non frustrà HIPPOCR. in plurali flu-
 xiones dixisse, sed ut utrumque tam ἐρυθρὸν quàm λευ-
 κὸν κάρτεα comprehenderet. Uterq; enim laxando ute-
 ri fibras, tonum & cum eo actionem sese constringen-
 di tollit. Obsunt itaque veneri, vel quatenus ad attra-
 hendum, vel continendum semen uterum impotentē
 faciunt. ἦν γὰρ ὑγρότερον ἢ τὸ σῶμα τῶν ὑπερέων, & δύναται εἰρύσαι
 τὸ γόνον. I. de morb. mul. XXXIV. vel si superatâ omni
 difficultate fortè concipiat, quatenus neque satis bo-
 nam, neq; satis copiosam concepto alimentum materiam
 præbent, ita ut tandem immineat abortus.

§. 34. At verò consideratu non indignum est, quòd
 afflictis ita mulieribus statâ nihilominus est menstrua-
 tio. NOSTRÆ ἀκρηταί, ἐρυθρά, ἰκνέμενα, prodiisse TEX-
 TUS ait. Nempe sanguis hic profluebat more solito,
 singulis mensibus. Clarè enim id monstrat addita vox
 ἰκνέμενα, quam cùm in Græco habeant FOËSIUS &
 MERCURIALIS, malè in interpretatione omiserunt,
 quia fluxionem determinat. Mirum est nostrum quoq;
 Præceptorem JLL. VAN DER LINDEN omisisse.
 HESYCHIUS ἰκνεομένης πρὸς ἡμέρας exponit, & apud
 HIPPOCRATEM de morbo sacro φρονίιδες ἔχ' ἰκνέ-
 μενα dicuntur, quæ intempestivæ, & in de aër. aqu. &
 loc. πρὸς ἡμέρας ἔχ' ἰκνέμενα ait, senectutem ante
 constitutum debitum ve tempus indicaturus. Hoc ita-
 que loco τὸ ἰκνέμενα statam debitamq; menstruorum
 reversionem denotat.

§. 35. Fluxisse autem ἐρυθρά, eaq; ἀκρηταί, summo
 pariter dixit iudicio. Rubra quidem, ut ab albo, im-
 permixta verò, ut à priori fluxu ἐρυθρῶ distingueret, cui
 ferescentem pituitam fuisse permixtam suprâ audivi-

mus. Sed quomodo impermixta planè prodierint à corpore tam pituitofo, ut omni tempore profluentia ejus afflicto sit, mirum alicui videri poterit: fieri tamen NOSTRORUM quoque observatione constat. Dicam breviter, quod rem esse puto. Laboravit NOSTRA magnâ virium imbecillitate; facilè igitur facta est naturalis & debita mulieribus plethora ad vires, quia neque labore neque calore imbecilli absumi potuit sanguinis quantumvis in se pauci superfluum. Natura igitur αὐτοδιδάκτῃ, sive ut loquitur HIPPOCR. VI. Epid. V. 4. ἀπαίδεικτῃ ἔμαθῆσα, τὰ δεόντα ἐποίησεν, statò scilicet tempore & ordinario modo dimisit. Tempus ὁ Δημιῶργος ἡμῶν voluit esse menstruum. Modus fit agitatione adeò interdum magnâ, ut pulsus frequentia, febris, lumborumque dolor ob divaricatam illic arteriam sequatur. Et hæc omnia NOSTRÆ adfuisse affirmare ausim, quia in tanta pituitæ copia magnâ agitatione sanguinis, magnoq; spirituum conatu opus fuit ad id, ut superfluum natura vacuaret. Superfluum dico, non per se, sed alimenti viriumq; respectu. Alimenti: non quòd omni eo corpus emaciatum opus non habuerit, sed quòd ob pituitæ impedimentum debitè apponi non potuerit. Virium: quatenus ipsæ imbecilles & à materiæ copia obrutæ ulterius, bono quantumvis sanguine, premi non debuerunt.

§. 36. Et hæc ad historiæ ipsius intellectum satis. Superest ut omissam hîc curationem, quàm fieri poteris Methodicè apponamus. Morbos omnes tali subsequutos esse serie in historia videmus. Ἀδυναμία, λοχιοκρυφίη, λεκτὸν φλέγμα, ῥῆς γυναικῆς ἐρυθρὸς, denique κάρτε λελκὸς, ob quem potissimum præsentem exercitationem suscepimus.

§. 37. Si itaque sub initium similis casus vocarer,
virium

virium imbecillitati Roborantibus, Balsamo puero-
rum, vel Aquâ matricali, vel factò è pulveribus Marga-
ritarum, Corallorum, Tormentillæ, Croci, Caryophyl-
lorum, in corticibus Citri conditis, conservâ Cydo-
niorum, florum Cheiri, Syrupoque Melissæ aut Arte-
misiæ debitè exceptis Electario prospicerem, Diætâ-
que frigidos ac crudos humores absumerem.

§. 38. Quòd si verò Lochiocryphia jam adesset,
omni studio fervorem sanguinis excitarem, quem ob
spiritum exhaustum & à materia oppressum non se-
quutum esse antea audivimus. Tali itaq; materiâ, quæ
exhaustum restaurare & oppressum à materiæ crassi-
tie liberare possit, suscitarem: Igitur præter jam dicta,
ad has indicationes non inefficacia in aqua vel tin-
ctura Menthæ cum Cinamomi & Croci scriptulo Bor-
racis mineralis drachmam, vel extractum radicum
Aristolochiæ aut Bryoniæ, cum succini & Croci oleis,
& confectioe Alchermes è vino præberem. Hæc
enim omnia spiritus roborandi, crassos humores atte-
nuandi, & ad uterum peculiariter deducendi vim ha-
bere, docuit rerum Magistra, Experientia.

§. 39. Leucon phlegma si jam appareret, habitûs
alienitatem omni studio averruncarem. Materiæ ve-
rò conditio & collectionis modus indicaret remedii
materiâ. Quatenus crassa & frigida, attenuantia & cali-
da requirit, quatenus destituta motu moveri, quatenus
aliena & p. n. planè exterminari viis ipsi naturæ affe-
ctatis & conferentibus debet. Prima duo indicata; mo-
tum & præparationem Diætâ & Pharmaciâ exhauri-
rem. Cibos darem, panem purum, acidum, neque pi-
sces, HIPPOCRATIS exemplo, II. de morb. LXIX.
16. 18. 19. 20. 21. 22. scorpios coctos concedentis,
recusarem, dulcia & pingua defenderem, contra ὀξέα

Ἐδρμεία πλὴν σκερόδ' & ἡ κρομίσ & ἡ πρᾶσ & darem, quod NO-
 STRI quoque non multum eis dediti facile ferrent.
 ορίανον ὃ ἔστι μέρην πολλὴν ἐκείναι καὶ οἶνον ὅτι πίνειν οἰνώδεα, καὶ
 ὁδοιπρέειν πρὸς ἑσπέρην, juberē. Vinum dico vinosum; non,
 ut malè vertit FOESIUS, aquosum: οἰνώδες enim aquosū
 nemo exponet, si animum advertat. Verbo dicam:
 E' præcepto HIPPOCR. XX. 5. I. de Affect. juberem διαλεῖν
 σιλοῖσι καὶ πόσισι καὶ πόνοισιν ὑφ' ὧν ὡς ξηρότατα ἔσται, καὶ ἰσχνότα-
 τα. In Pharmacia è vulgò dictis digestivis & calidis,
 Hyssopo, Pulegio, Scolopendriâ, Melissâ, Menthâ, Ani-
 so, Fœniculo, Pipere, Guajaco, Cremore Tartari, Tar-
 taro Vitriolato, Sale Absinthii, Centaurei minoris & si-
 milib. formulas varias conficerē, & pro varietate cir-
 cumstantiarum, consuetudine loci, mulieris conditio-
 ne, gustu & similib. vel insipida, vel amara vel dulcia,
 vel acida, vel Julepi, vel Apozematis, vel Catapotio-
 rum, vel aliâ quavis formâ justo tempore propinarem.

§. 40. Postea præparatam decenter materiam eli-
 minarem & Purgatione per alvum & Sudoriferis.
 Purgatione: quia per alvum παραχθεῖσιν ἰσχυρῶς natura
 ipsa expedire morbum solet, tum quia per uterum, quo
 nostro in casu abusa est, non tam cōvenienter, sed ma-
 jori, non mulieris tantum, sed viri quoq; incommodo
 purgatur. HIPPOCR. LXIX. 1 r. II. de morb. ἡν μὲν ἡ γαστήρ πα-
 παραχθεῖται αἰτομάτη, δεχομένης τὸ νέος, ἐν σπλάτνῳ ὑγίης γίνεται. ἢ ὃ
 μὴ παραχθεῖται, φάρμακον διδόναι κάτω, ὑφ' ὃ ὕδωρ (lib. de aff.
 XX. 7. ἢ φλέγμα addit) καθαίρεται. Paulò autē post II. M.
 LXIX. 25. sapientissimè monet φάρμακα ὡς ἐλάχιστα
 εἶναι, quo non tantum purgantia quàm paucissima
 exhibenda esse jubet, sed & quàm minima, id est, quæ
 non nimis violenter agant, postea verò quando τὰ οἰδή-
 ματα καλέσθαι εἰς τὸ κάτω, l. c. 26. infra & supra Helleboro
 purgat, ut nimirum sub finem morbi hoc modo tota
 colluvies tollatur.

§. 41. Ma-

§. 41. Materia mihi radix Jalappæ foret, cujus primo scrupulum, mox duos, denique drachmam ex uncia semis Syrupi Menthæ & Aquæ pulegii vel Melissæ uncia darem, de dose os magnitudine tutus, cum JLL. BAUHINI in prodr. testimonio tuto & sine fastidio opus suum exequatur, nec HOFMANNUS ipse in hydropicis Drachmæ pondus recuset, qui aliàs in granis se intraq; scrupulum substituisse scribit. I. de Med. offic. 5. 17. Pars itaque laborans, habitus corporis, non permittit tantum, sed requirit quoque, quod imbecillitas dissuadere posset; facilius enim virium reparatio, quàm morbi est expulsio. Si verò fastidiret prædictum medicamen, darem ipsi Avi mei materni p. m. D. JOACH. ILLIES *κυκεων* purgantem. In vini calidi tribus unciis dissolvebat Mannæ electæ unciam & semis, Diaphænici drachmas duas, colaturam addito ovi vitello & croci momento *πυρμαλθακω* coquebat, calidamq; successu egregio propinabat.

§. 42. Sudoriferis: quia pituita in ipsis sudoris viis hæret, & præcedenti præparatione attenuatâ, facile vaporescit. Materiam mihi Guajacum, Sarsaparilla, Angelica, Valeriana, Cornu cervi, Vipera, præberet; Bezoar verò, lapis tam pretiosus, quàm inefficax & incertus, mihi non placet.

§. 43. Fluor muliebris rubens si ante meum accessum in locum priorum concederet, ab hoc inventionne ultimo inchoarem curationem. Morbus est Hæmorrhagia uteri, illa est profluvium sanguinis. Ergò remedium est Hæmischia aut Ischæmia uteri, quæ sanguinis est consistentia. Ergò indicatum est res sanguinæ sistens, cujus conditio & natura è magnitudine, motu ac moribus morbi, materiæ denique specie petenda. Nostro in casu, utrum magna fuerit Hæmorrhagia, cer-

tò affirmare , tacente HIPPOCRATES. nequeo, quod si tamen magna dicenda, quæ cum magna virium jactura diù affligit, magnum fuisse morbum non per se, sed viriū respectu patet. Motus morbi in sextum usque mensem durantis lentus, mores quoque lenes & benigni sunt; neque enim adeò afflixit, quin faciliè toleraverit, uti obambulatio non tantum, sed veneris quoque usus testatur. Igitur Hæmorrhagia benigna, lenis, lenta, quoad vires magna, benignam quoque lenem, lentam & parvam requirit sufflaminationem. Ergò omnis materia non-benigna, non-lenis, non-lenta, non-parva exulare debet. Nullo itaque modo vel Venæsectio, vel Purgatio, vel aliud grande remedium convenit.

§. 44. Non Venæsectio: quia præter quod non est materia parva, lenta, simpliciter quoque sufflaminare motum sanguinis hoc in casu nequit. Rat. est, quia sanguinem attenuat, quod sufflaminationi contrariū. Attenuat; quia paucior post Venæsectionē sanguis idem quod ante spatium occupare debet, nequit autē absq; attenuatione aut vapore. Dein vel in brachio, vel in pede tundi deberet. Non in pede: quia ita AUTH. consensu ad uterum traheretur, contra indicationem; Non in brachio: tūm quia sistere fluxum nequit, qui non ob plethoram aut sanguinis abundantiam, sed ob λεπτομερίαν ejusdem factus est, tūm etiam quia venæ in brachio sectio menses ciendi vim obtinet quàm maximam ad iis CARDANUM de malo medendi usu, errore 63. Cucurbitulæ tamen non scarificatæ mammis appositæ & HIPPOCRATES. II. de morb. mul. II. 17. & in Aphor. commendatæ, quamvis solæ sistere nequeant, rejici omninò propter efficaciam non debent; observato interim præcepto HIPPOCRATES. ut ἡν δύσπνοια γένηται πρὸς τὸ πρὸς-βλησιν τῆς σπικίης, ἀφαιρεῖν τὸ πρὸς σπικίην, αἷμα δὲ μὴ ἀπάγειν præcipias.

pias. Purgatio locum non habet: quia nec benigna, nec lenis, nec lenta, nec parva est materia, sed motum in sanguine & ebullitionem facit, humores fundit & attenuat, qui omnes effectus indicato sunt contrarii. Materiae verò species & partis natura genuina nobis naturam demonstrabit.

§. 45. Dixi materiam esse ferosum sive pituitoso aqueum sanguinem. Fluorem autem muliebrem esse affectum compositum, quia duo semper adsunt, sanguinis & uteri. Hujus enim uti profluvium, ita illius ferofitas aut aquofitas affectus est. Uterus igitur tanquam recipiens, sanguis tanquam mandans roborari, & materia tenuitate peccans incrassari debet. Ergo tales res requiruntur, quæ roborare & incrassare possint. Roborant, quæ laxas uteri sanguinisque fibras cogunt, uti sunt adstringentia & ἰσχυρά dicta, quæ vel à proprietate, uti Jaspis & ex Hellebore albi foliis cingulum, vel ὀνύχιδι manifesta agunt, ut in Diæta sunt apud HIPPOCR. II. de morb. mul. II. 5. lens, panicum, panis assatus in cinere aut bis coctus, caro leporina, columbi & palumbis, hæ enim carnes, cum sanguinem valdè commendunt AUTH. optimæ sunt tam elixæ quàm assatæ. In pharmacía adsunt Pimpinella, Myrtus, Plantago, Betonica, Corallium, Nux moschata, Bistorta, Bursa pastoris, Mentha, Tormentilla, Cydonia, & plurima alia, quæ iterum vel internè sumpta vel externè applicata juvant. Incrassant, quæ materia implent vel glutinosa, ut hæreat, vel crassâ, ut vias obstruat. Glutinosa in Diæta præbent cibi glutinosi, gelatinæ, pedes porcellorum, ἰτελα, κερχελὶν HESYCHIO. In Pharmacía Mucilagines; v. g. Symphyti radix, Gummi Tragacanthæ, Cerasorum &c. Cornu Cervini & è visci baccis pulvis. Crassam exhibent vel materiæ alienæ vel

næ vel sanguis ipse coagulatus. Aliena materia im-
plent Gipsus, Gluten piscium, Creta, Lapis Hæmatites,
Fabrorum rubrica, Bolus Armena, Terra sigillata, san-
guis Draconis. Sanguine verò coagulato tam quæ-
cunque vel actu vel potestate refrigerant, uti Rosæ, Sal
prunellæ, Nitrum depuratum, Aquæ plantaginis, pru-
norum sylvestr. &c. tam quæcunq; *ναρκην* inducunt, uti
sunt semen Hyoscyami, Mandragora, Papaver, Opium.

§. 46. Inventis itaque *μὲν λόγῃ* materiis, quibus agen-
dum, superest, ut videamus, quomodo, sive quâ formâ,
quantitate, tempore, in usum vocari debeant. Mon-
strant & determinant usum remedii in nostro casu, vi-
res, sexus, partis laborantis situs, consuetudo. Vires im-
becillæ roborantia, sexus deliciis gulæ deditus grata
& jucunda, partis situs in profundo, spirituosâ & pene-
trantia, consuetudo Germanorum parvæ molis medi-
camenta requirunt, quæ omnia si sub administratione
observanda, simplici rem expediri vix posse paret. Er-
gò è roborantibus & incrassantibus seligi grata, pene-
trantia in parva mole efficacia, iterumque in formam
gratam, penetrantem parvæq; doseos redigi debent.
Hæc omnia præstat sequens formula: Accipe Extra-
cti Tormentillæ drachmam, semis Coralliorum præ-
paratorum, Terræ sigillatæ ana scriptulos duos, Lau-
dani opiatî grana tria. Detur ex aqua plantaginis vel
bursæ pastoris, vel cum Syrupo è rosis siccis & con-
serva Rosarum veteri & acida fiat electuarium, vel
convenienti vehiculo, addito in penetrationem aceto
destillato, propinentur extracti Croci Martis adstrin-
gentis ʒ ij. Quibus similes formulæ è supradictis com-
poni possunt innumeræ. Sexus autem muliebris, quia
facilimè interna fastidit, roborari uterus & stringi em-
plastro contra herniam antè & retrò imposito potest,
cavendo,

cavendo, ne nimium hærens, mulieri dolorem, Medico ignominiam creet.

§. 47. Fluor albus in historia agmen claudens, meritò quidem primus esse in curatione debuisset, quia tamen præcaveri à Medico peritâ præcedentium curâ potuisset, istos primùm examinare debui, hujus autem medelam in hunc usque locum reservare. Morbus est compositus è profluentia & pituitositate. Illa est *ῥ' δμαλισμός καὶ ἔκκρισις*, qui est fluxus humoris & morbus motûs. Hæc est *ἀπόκρισις* pituitæ, quæ est alienitas sanguinis & morbus materiæ. Ergò istius Remedium est *σάσις*, sive consistentia humoris, illius verò retentio pituitosi, quæ est proprietas sanguinis. Ergò duo sunt indicata: Res humorem sistens & pituitosum retinens, qualem ut inveniamus materiam, attributa morbi considerare debemus. Morbus non est magnus. Ergò nec magnum Remedium. Magnus quidem est *ἡ φαντασίαν*, uti distinguit A U T H. Defin. Med. quia in sanguine longè se extendit, & multæ materiæ inhæret, non verò *καὶ ἀποτέλεσμα*, sive effectû acre ipsâ. Neque enim materia tota hîc substantiâ peccat, sed potestate agit manifestâ, neq; valdè affligit, cùm rebus suis interesse mulierem licet cum incommodo finat. Morbus diuturnus benignus est & mitis. Ergò Remedium tale postulat. Materiam Remedio sufficientem monstrant fontes, unde dicta accidentia fluunt, materia & pars affecta, sine quibus nunquam esse morbus, nedum ejus accidentia possunt.

§. 48. Primò afficitur sanguis, secundò uterus. Materia peccans pituita, sive crudum sanguinis est. Partes roborandæ. Materia verò vel jam secessit à communionem totius & mortua est, vel non: quæ secessit, redire à totali privatione ad habitum vitæ nequit, igitur ex-

cludi, nec ullo modo sisti debet. Quæ verò nondum secessit, in officio retinenda & coquenda est. Retinetur; si gluten, quo singulæ sanguinis partes uniantur, ita firmetur, ut penetrare & continere possit. Gluten illud spiritus est, qui roboratus & auctus retinebit & coquet, quod antè ob imbecillitatem destituit. Redeunt itaque indicata omnia ad unum spiritûs robur, quippe hoc roborato retinebitur crudum sanguinis, hoc retento cessabit apocrisis, apostasis, & his sublati spontè desinet fluxus. Affectiones istæ quatenus virium imbecillitatem, sive spiritûs penuriam sequuntur, symptomata sunt & fonte exhausto spontè cessant. Cùm igitur spiritûs robur indicatum sit, res indicatum exhaustura spiritum roborare, & ut è priùs dictis liquet, mitis, benigna, diuturna nec magna esse debet. Tale quid quia Chirurgia non habet, Diæta nobis & Pharmacia inspicienda. Utraque verò cùm varii generis roborantia possideat, qualia è nostra re sint, iterum nobis natura rei, quam & propter quam roborare debent, demonstrat. Illa spiritus, hæc pituita est. Illa conservanda similibus, hæc corrigenda contrariis. Spiritus est calidus, humidus, subtilis, mobilis. Ergò similibus roborandus. Roboratio enim nihil aliud quàm propriæ naturæ conservatio est. Pituita est cruda, frigida, humida, crassa, coctilis tamen. Ergò contrariis corrigenda & coquenda. Quæ enim jam separata sanguini & σύγχυσιν saltem miscetur, secedendo mortua, totoque genere p. n. & incoctilis facta, evacuanda est. De quo postea.

§. 49. Omnes hæ conditiones monstrant rem roborantem, quam quærimus, debere esse calidam, siccam, subtilem, mobilem. Siccam dico; quia licèt spiritûs humiditas simile requirat, finis tamen roborationis, materiæ

materiae coctio non humiditatem spiritus, sed siccitatem intendere suam humiditate præcipit. E' DIÆTA igitur conveniunt ἀλυσίαι, vel si consuetudo regionis aut individui φιλολόγως jubeat, lavetur θερμῷ μὴ πολλῷ, II. M. M. XII. 36. aut calore sine aqua leviter sudet, aut exemplo GALENI l. de præcogn. ad Epigenem, ungatur melle καθ' ἐκάστην ἡμέραν, & fricetur corpus τὰ μὲν πρῶτα διὰ σινδόνων μαλακότητων, εἴτα διὰ σκληροτάτων. Profunt, ut cum HIPPOCR. II. M. M. X. 10. pergam, πείπαλοι, τὸ αἰωρέεσθαι ὅχέεσθαι ἐμὴ ἡρεμεῖν. Ejusmodi enim lotionē, unctionē & motu minimè violento, spiritus excitatur potius, quàm exhaustur, & sexui vitæq; generi personarum laborantium conveniunt. Constat quippe observatione, mulieres rusticas & laboriosas à fluxu hoc immunes esse, cui nobiles & otiosæ sunt obnoxia. Docet id HIPPOCR. II. de morb. mul. IV. 4. hisce verbis: Quæ supra modum albæ sunt (cui colori valdè student nobiliores) humidiores & ῥωδ' ἔσονται, sunt, nigrae verò sicciores & adstrictiores. Quæ verò colore sunt subfusco & vinoso, medium quid inter utrasque obtinent.

§. 50. Cibi porro conveniunt ὀπεπτοι, quales μαλακοὶ, subtiles & mobiles, quos faciliè digerat languens calidum. Caveat à durioribus & δυσπέπτοις, uti sunt carnes bubulæ, ovillæ, porcinae. Reliquis carnibus junioribus præcepto HIPPOCR. elixis (assatas tamen aviculas non excludit) utatur potius quàm piscibus, nisi regionis situ aut religionis cultu ἰχθυόφαροι sint. Relinquendi autem marini & duri, seligendi cum HIPPOCR. & GALENO. περᾶτοι, οἱ γὰρ πάντες ἀγαθὸν ἔδεσμα. Meth. Med. VIII. 2. Sed Medici antiqui, cur adeò faciliè pisces concesserint, vide sis apud MERCURIALEM var. lect. I. 25. Panem edat optimum, σιῶδη, fermentatum, vinumque odoratum, vetus & nigrum bibat.

§. 51. Condimentis falsis, acribus, quin modicè NO-
STRA utatur nihil vetat. Nam cum mitem ac *ἀήνη*
supponamus morbum, metus non est ut *δ' ακνῶδες το*
ἔργον fiat. II. M. M. XV. 18. Eo tamen casu, quo pustulae
& pruritus pudendis molesta sunt, ab istis abstinere
oportet, quia acris materia contraria indicat.

§. 52. E PHARMACIA conveniunt Hyssopus, Ani-
sum, Calamus, Galanga, Cinnamomum, Nux Moscata,
Anthophylli, Angelica, Majorana & prae omnibus
Mentha, Melissa & Rosmarinus. Istius enim solo & fre-
quenti usu multis fluorem album suppressum esse au-
tor est DODONÆUS, & HIPPOCRATES *ἡ δ' ὕσσωπος ἐστὶν* jubet.
Illius miram efficaciam Patris mei Venerandi, AN-
TONII HELVIGII, experimentis scio. Hujus deniq;
virtutem in morbis muliebribus admirabilem esse te-
statur P. MONAVIUS apud SCHOLTZIUM in Consil.
Ipse HIPPOCRATES II. de morb. mul. laudat, & JEL. VAN
DER LINDEN p. m. Præceptor meus non uno mihi
nomine venerandus, hoc solo se sanasse profitebatur.
Quod si denique vera Corallorum tinctura, de qua tot
verba Thrasones nonnulli perdunt, à Chymicis ge-
nuinis & eruditis parari posset, istâ solâ fluorem hunc
tolli posse, quia indicationes exhaurit, dubium mihi
non est. Interea dum de vera spem jubemur inchoare
longam, uti cum fructu possumus, quam CL. HOEFE-
RUS in suo Hercule descripsit, & præclarus artis usu
Doctor olim noster JOAN. MICHAEL præ aliis nobis
commendavit.

§. 53. Quamvis autem spiritus roboratus excernen-
dæ quoque materiæ incoctili sufficiens videatur, si ta-
men vel illa non cedat, vel ille non agat, quod agere
debebat, utique cogi debent. Spiritus excitandus &
officii sui admonendus: Materia verò ejicienda vi
apertâ.

apertâ. Utrumque præstant universalia vel particula-
ria purgantia αἰωή κατω. Materiam naturæ rei, in quam
agere debent, ostendit, pituitam enim & aquas ducen-
tia seligenda.

§. 54. Inter universalia sive sanguinem respicientia
HIPPOCRATES II. M. M. XIV. 9. in fortibus veratrum, in debili
ρίζω & ἐλατήριον, & lac modò caprillum, modò bubu-
lum, modò asininum, ejusque serum coctum, ut flatus
amittat, proponit. Verùm quid per radicem intelligi
debeat, in incerto est. GALENUS in exeg. ita herbam
describit, ut cum Onosmate conveniat, quod cum fœ-
tus ejicere dicat DIOSCORIDES, fortè quoque pur-
gat. Sanè GALENUS ρίζαν id habere λεπτεῖς ἀσθενῶς
καθαίρεισσαν ait. Hoc interim in re incerta certum est,
per radicem intelligere HIPPOCRATES purgans aliquod lene,
ἢν γὰρ ἀσθενῆς fuerit agrotans, ρίζαν τε & ἐλατήριον dare
juber.

§. 55. At verò dicat aliquis, feminae imbecilli quo-
modo audeat dare ἐλατήριον, CARDANI elogio, de fac.
med. 402. Tyrannum medicamentorum validissimū.
Hunc Ego ad JULIUM POLLUCEM duco Onomast.
IV. 25. ubi λυτήρια, ἐλατήρια, τὰ κενεῖντα vocari ait; quo si
contentus non est ad JLL. HOFMANNUM Animadv.
in Theophr. IV. hist. 6. & I. de Med. offic. X. 3. Ela-
terium pro omni purgante laxè sumi perspicuis do-
centem ablego. Hic autem ἐλατήριον μικρὸν ἢ ἀσθενῆς in-
telligi, hoc est, omne leniens aut per Ἰππικράτην purgans,
docent non tantum hæc verba ἢν ἀσθενῆς, sed & addi-
tum de lacte ejusque fero exemplum. Eligit modò asi-
ninum & coquit, quando purgare magis cupit, modò
quando magis nutrire & roborare & stringere, γάλα
βοῦς θερμὸν vel apertius, θερμὸν ἀπὸ βοῦς, quod optimum
esse validâ additâ ratione docet, in fluxu putà acri. καὶ

ἃ καθαίρεται ἔτρεφεται ἔαμβλύνεται ὑπὸ τῷ πικρῷ γάλα-
κτι. Purgatur propter serum, ejusque nitrum, quod
serum ac pituitæ, quod à spiritu roborato attenuatum
est, per Πίικρασιν purgat. Nutritur & roboratur pro-
pter butyrum & caseum; sistitur & obtunditur pro-
pter eandem substantiam caseosam.

§. 56. Particularia vel ventriculum ac primas vias,
vel uterum respiciunt. Illum vomitoria à sâburra li-
berant, & pro rei necessitate vel è sale Vitr. vel metal-
lorum croco, vel laudatâ nobis Asari radice ac foliis
parari possunt. Uterus roborandus est, nequit autem
præsentem materiâ, ergò illa purgantibus tollenda.
Hoc HIP P. l. c. κόκκω τῷ κνιδίῳ ἢ τῇ ῥίζῃ τῆς θαψίης, illud
acerbis præstat, quæ ibi videre licet.

§. 57. Inventis jam materiis, quibus agendum, pro-
ximum est, ut quâ methodo, hoc est, quâ formâ, quan-
titate, quo tempore & ordine adhibere oporteat, in-
vestigemus. Id verò alterum indicantium minùs prin-
cipalium genus, τὰ πειρατικά, demonstrant. Δεῖ enim,
inquit HIP P. II. M. M. IV. ι ι. τὸν ὀρθῶς ταῦτα διαχειρόμενον
διαγινώσκειν ἐκάστῃ τὰς φύσεις τῶν γυναικῶν ἔτι καὶ τὰς καὶ τὰς
ἡλικίας ἔτι τὰς ὥρας ἔτι τὰς τόπους ἔτι τὰ πνέματα. Quæ ut non ni-
hil ad vulgi gustum disponamus, vulgarem divisio-
nem in res naturales, præternaturales & non naturales
sequemur. E' naturalibus primum indicans Tempera-
mentum tum hominis, tum partis patientis est, quod
cum vel ἰδιοκρασία vel ἰδιοσυγκρασία sit, illius respectu
NOSTRA vel sanguinea, vel biliosa, vel melancho-
lica, vel pituitosa propter sanguinis conditionem fuit.
Hujus verò, in certas res Sympathia vel Antipathia aut
naturalis aut adscititia fuit. Posterius tanquam occultū
& ὅλη τῇ ἐσίᾳ agens, cum sola observatione cognosca-
tur, quis à nobis explicari posse, tacente HIP P. credat?

Prius

Prius autem rationali conjecturâ assequi adeò difficile non est. Cùm enim HIPPOCR. I. c. 4. τὰς ὑπερ-
λάρκας ὑγρότερας τε ἔρωδεστέρας esse dicat, justa oritur
suspicio, NOSTRAM valdè albam fuisse, præsertim
quia GALEN. quoq; VI. de loc. aff. 5. ταῖς ἀπαλοστέροις ἔ-
φλεγμαλώδεσιν evenire frequentius ait. Intensa autem
albedo pituitosi temperamenti indicina est, cui prout
fusci vel nigri plus minus miscetur, ita etiam biliosa
magis minùs venit dicenda. Pituitosam interim fuisse
suppono. Partis laborantis, uteri, temperies, cùm cali-
da propter sanguinem sit, in modo caloris, universalé
corporis à sanguine pariter proveniente sequetur.

§. 58. Secundum Ætas est, quâ de licèt nihil addat
in historia HIPPOCR. cùm tamen constanter ἐν τῇσι
γεραιτέρησι τῶν γυναικῶν μάλλον γίνεσθαι, ἢ ἐν τῇσι νεωτέρησιν as-
serat II. de M. M. I. 1. VII. 10. IX. 21. senior fuisse vide-
tur. Non autem ideò ex illis sum, qui puellis aut virgi-
nibus fluorem hunc evenire incorruptis ἀδυνάστον pu-
tant. Docent enim OBSERVATIONES contra-
rium & FERNELIUS in puella novem annorum
vidit. Certum interim est rariùs virginibus ac puellis
contingere, μάλλον ἢ senioribus, defloratis & mulieri-
bus. Notandum autem, non simpliciter verulas aut
ætate confectas intelligi, sed γεραιτέρας seniores adole-
scentibus, quo sensu in Aphorismis aliquando voce
τῶν πρεσβυτέρων utitur. I. 26. 27.

§. 59. Tertium Sexus est, quem è sola narratione,
sequiorem & femineum esse patet, ita ut frigidiorē
& humidiorē temperiē, habitumque tumidum,
mollem habuisse NOSTRAM, verisimile evadat.
Quartum à Viribus sumitur, quæ omnibus feminis ob
calidi paucitatem minùs robustæ, hic autem à morbo
quoque prostratæ & afflictæ sunt. Quintum Status &
Vitæ

Vitæ genus est. Quoad illum, NOSTRA mater & fecunda, & fortè de filiarum dote sollicita fuit; tales enim curæ mulierculis cum ipso foetu nasci solent. Quoad hoc, certum quid affirmare nequeo. Conjectura est, nobile aut saltem urbanum, liberale si non luxuriosum, si non conjugale, saltem sociale, curis plenum & otiosum fuisse. Quæ omnia, quare sic & non aliter conjiciam, si prolixè exponere vellem, tædiosus & nimius forem. Consuetudo denique ultimum ex hoc genere indicans dirimitur in publicam & privatam. Ad illam horæ prandendi, cœnandi, communis ratio curandi &c. pertinent, ad hanc quidquid in victu moris habuit NOSTRA. Hoc uti divinari nequeo, ita illud è Græcorum moribus deducere possem, sed cum non Græcis, sed meis conterraneis ac civibus Medicinam facturum sim, frustraneo labori parco. Tempus autem, quo prandemus vel cœnamus GERMANI pro varietate Provinciarum, Urbium, Anni temporum varium est. In certis quoque Provinciis ac Urbibus certus est & peculiaris curandi modus à Medicis istius loci discendus.

§. 60. E' præternaturalibus indicantibus sunt morborum tempora, quorum ratione vel incipiente & recenti, vel inveterato laboravit NOSTRA, pariterque vel in principio Medicum vocavit, vel serò demùm cum mala per longas moras invaluere. NOSTRÆ inveteratum fuisse malum non pauca docent. E' nonnaturalibus denique aër & situs loci indicant. Qualis autem Græciæ & Patriæ HIPPOCR. hodiè Turcis Stampul dictæ situs & aër sit, hîc non attingo. Insulam fuisse notum est, ut ita cum nostra patria mari propinqua, non tamen calore tanto exusta, modo quodam conveniat. Anni tempus quale fuerit, cum taceat HIPPOCR. nescio; hyemem suppono.

§. 61. Jam

§. 61. Jam ad indicata veniamus. Monstrant Circumstantiæ inter cætera Ordinem medicamentorum, hoc enim in tanta necessariorum varietate opus est. Inchoanda igitur medicatio tam in recenti quàm inveterato morbo à Vomitorio, ut viæ per quas reliqua medicamenta naturæ grata transire debent, pateant. Forma & Dosis propter sexum, statum, vitæ genus & germanam consuetudinem, debet esse grata, tuta, efficax & parva. Grata quæ pro gustu patientis vel insipida, vel dulcis, vel acida, vel amara est. Tuta quæ multo usu probata Dosi non excedit. Efficax & parva quæ à quilibet ac remoris pura est. Ergò vel Oxymel vomitivum SALÆ & Oxyfaccharum ANTUERPIENSIIUM ex aqu. fœniculi vel alia grata & convenienti dandum, vel Asari coagulum, vel ejus sal, vel conserva Emetica ULTRAIECTINORUM & alia inde parata, vel croci metallorum infusum è vino vel aqua conveniente, vel fero sapphirino, vel ipse crocus in substantia cùm Menthæ conserva vitriolata aut simili. Hæc enim omnia efficacia sunt in parva dosi pro materiæ natura determinanda. Diasarum FERNELII quòd multi laudant, & imbecilibus non obesse dicunt, propter Dosi nimiam ad sex drachmas vel unciam minimè convenit. Tribus enim drachmis, quam vulgò Dosi in antidotariis habent, inefficax esse docet JLL. HOFMANNUS de med. off. l. 4. 10. Tempus exhibitionis, cùm nihil urgeat, matutinum & conveniens jejunium, donec perfecerit medicamentum quod debet, quatuor vel quinque horarum esto. Quòd si fortè mulier vomere inepta sit, purgans per alvum lene è familia supra dictorum sumi debet.

§. 62. Post viarum apertionem statim spiritum roborare materiis suprà dictis oportet. Igitur quod ad Alimentorum administrationem spectat, NOSTRA quia femina, nobilis, curis plena, jentaculo, prandio,

merendæ, coenæ assueta, aër frigidus & locus maritimus est, paulò liberalius haberi debet, quàm vel temperamenti paucus calor, vel imbecillitas, vel otium, vel morbi vetustas requirant. Jentaculo igitur & merenda abstineat, solitis autem horis prandeat atq; coenet, ita ut pro suo palato, sine tamen interdictis, minimè ad satietatē sumat, hoc enim pacto rectiùs digerentur, nec oppriment, sed roborabunt imbecille calidū.

§. 63. Quòd verò rectum Medicamentorum usum concernit, tria in illis, Forma, Dosis & Tempus exhibitionis considerata. Forma ob causas jam dictas tuta, grata, & efficax sit. Tuta erit si experta. Grata si boni saporis, coloris & odoris. Efficax, si penetrabilis & solutu facilis. Tuta quidem & efficacia è materiis laudatis Decocta sunt, sed minùs væcordi mulierum palato grata, & nostro loco non valdè usitata. Trochisci, Boli, Condita & Electuaria bona, Olea, Spiritus, Tincturæ & Extracta aptissima sunt. Tali autem omnes hæc formæ ordine adhibendæ. Primò ut spiritus vomitorio vel purgante dissipatus refocilletur citò, Extracta, Spiritus, Olea & Salia volatilia usurpanda sunt, quia ista omnia subitò in sanguinem rapiuntur. Deinde verò Pulveres, Trochisci, Conservæ, Condita & Electuaria magis conveniunt, quia ventriculum simul Atonia laborantem mora diuturniore roborant. Deniq; fiant è prioribus mixturæ, & propter morbi diuturnitatem, ne nausea creetur, modò hæc, modò illa seligatur forma, pro cuius natura & conditione Dosis & tempus exhibitionis, facilè determinare licet. Ego verò quod non addam, ægrè nemo ferat, quia formulas consarcinare & librū pro disputatione scribere præter institutum nolo.

§. 64. Interea temporis uterum purgare quidem sub initium, deinde abstergere, deniq; adstringentibus roborare oportet. Purgantia & Abstergentia forma liquida

quida instar clysterum per metrenchytam injiciantur. Adstringentia autē, cū vel liquida, vel solida, vel media pręscribantur, & ad ista fatus Inseſſus, Clyſteres, ad illa Peſſi, ad hæc, Unguenta, Emplaſtra, Cerota & Suffitus pertineant, negligi ex iis poſſunt Unguenta, Fatus & Inseſſus, quia vix penetrant, Emplaſtra, quia publi nimis adhærent, Suffitus; tam quia nec facile infundibulum admittunt, nec calefactū ferre poſſunt mulieres, quā quia quantumvis adstringentium fumus penetrat, igneaque vi venas ut plurimum aperit atq; dilatat. Peſſi; quia turpes & collo uteri dicati ſunt. Clyſteres autem & Cerota in uſum vocari poſſunt. Clyſteres; quia NOSTRA virum fuit experta & partum, ipſumq; uteri cavum collui debet. Cerota; quia minus tenaciter hærent & virtutes medicamentorum nihilominus, imò rectius habent & deferunt.

§. 65. Et hæc omnia ſi cum iudicio in TIMORE DOMINI adhibeantur, dubium non eſt, quin curari ac ſanari poſſit, qui ſatis longus ac pertinax eſt morbus, & ſæpè poſt curatam quoq; curam à vehementi ſpiritus agitatione ſenioribus inprimis ſolet reverti. E' vero quippe divinus Senex: II. M. M. XIV. 30. 31. ὅσαι γεραιτέραι εἰσιν, ἐνίοτε ὑποστέφει ἡ νῦντος, & ἀπόλλυται, τῇσι ᾗ νέησιν & θαναλώδης. Rationem in præcedentibus dixit, II. M. M. XII. 40. ὅτι αἱ γεραιτέραι & δυνάμει ἀναφέρειν, ἀλλ' ἀπόλλυται ὑπὸ ἀσθενείας.

§. 66. Deniq; ſi non arident, quæ mihi jam videntur ſufficere, delicatiorum palatis, PLINIUS hæc verbis excuſo: Ardua res eſt vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, ſtupidis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam & naturæ ſuæ omnia. Itaque etiam non aſſequutis voluiſſe abunde pulchrum & magnificentum eſt.

SOLI DEO SIT GLORIA.

